



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Qvæ Cana Galilæa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

CAPVT II.

ET die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, & erat mater Iesu ibi. 2. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideae hydrae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singula metretas binas, vel ternas. 7. Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferite architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, 10. & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum usque adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope erat Pascha Iudaeorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: 14. Et inuenit in templo vendentes boues, & oves, & columbas, & numularios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque, & boues, & numulariorum effudit as, & mensas subuertit. 16. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tua comedit me. 18. Responderunt ergo Iudaei, & dixerunt ei: Quid signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: 20. Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturae, & sermoni, quem dixit Iesus. 23. Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. 25. Et quia opus ei non erat, ut quistimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.

IN CAPVT SECVNDVM
ARGVMENTVM.

PRIMUM Christi in nuptiis miraculum recenset, quae aquam in vinum mutauit. Deinde eius profectio in urbem, eius loci principem, Capertiam, ac Ierosolymam ad Pascha, ubi templo eiecit mercatores, & signum postulatus respondet. Soluite templum hoc, & in tribus diebus reedificabo illud. Multa ibi signa fecit, multos ad fidem adduxit, quibus seipsum tamen non credidit. Pars illa, de nuptiis legitur apud Syros, *Mantinis Dominicae, vel hebdomadae, quae ingreditur ieiunium, usque ad v. 12. Inde ad v. 23. Ad oblationem sabbati, suscitationis Lazari, quod, credo, eodem fere tempore putarint vtrumque factum, sed obseruandum est, initio praedicationis, seu primo sabbato factum esse, bis enim vendentes eiecit de templo, ut apud Matthaeum docui.*

A v. 23. *Dominica post Epiphaniam, & de Baptismo.* Quia vero hic primum est miraculum factum, admodum consideratione dignum est, hoc caput. Multa enim habet ad Catholicam doctrinam idonea, & multa ab haereticis, in controuersiam vocata sunt.

QVÆSTIO I.

Quae Cana Galilaea?

Cana duplex. §. 1. Hieronymus in locis Hebraicis duplicem distinguit, in hunc modum. *Cana in tribu Ephraim, Iosue 15, 18. & paulo post: Cana in tribu Manasse, Ios. 16. Et paulo post: Cana usque ad Sidonem maiorem: Est quippe & altera minor, ad cuius distinctionem haec maior dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aser, ubi Dominus, & Saluator noster aquam conuertit in vinum.*

Cana zebul. Hoc tamen obserua, Canam dicit a Syro כנענא Canne, interposito V. At altera Cana, unde dicitur mulier Chananaea, aliter omnino scribitur, dicitur mulier כנענית Cechanuta, nec in Syro praeter כנענית, & כנענית quaequam commune habent. Canam Ios. 19. 28. constat, scribitur autem כנענית Kana, erat enim in tribu Aser. Haec autem ut dixi scribitur a Syro כנענית nisi forte mendum quis dixerit. Quod vix dubitandum, cum veteres verbum Cana כנענית interpretentur zelum, כנענית potius paruam significat, cuius si-

gnificationis cum nemo meminerit, etiam certum est neminem legisse, nisi qui ex Hieronymo conijciat legendum Cana, Canne. Vt cumque sit Canam, non potest a Nazareth abfuisse probabile est. Trium horarum itinere abfuisse Hieronymus scribit.

QVÆSTIO II.

Quo die?

§. 1. **V**nde tertia dies dicatur, in quaestione est. Euthymius ab egressu ex deserto, quod fieri non potest. Nam postquam egressus est, legatio venit; altera die Ioannes testimonium iterum dedit, altera die inuit in Galilaeam. Ita necessario plures dies sunt. Tertia itaque vel tertia est a vocatione Petri, vel ab ingressu in Galilaeam. Posteriorem sententiam plures sequuntur, Franciscus Lucas, alique. Qui diem hebdomadis tertium esse volunt, non aduertunt, non dici diem tertium sabbati, sed tertium absolute. Itaque vel cum discessit a Ioanne, vel inuit in Galilaeam. Epiphanium vide contra Anoetos.

QVÆSTIO